

/ Illustrissime, et Reverendissime Domine Observandissime. Precata
est mihi Dominatio Vestra Illustrissima felicem Domini Natalem huma-
nissimis, et cordi meo acceptissimis litteris suis. Ego vero quo-
niam litteras illas accepi, cum jam feriae quadragesimales ageren-
5 tur, ꝑprecor Illustrissimo Domino meo felicem Dominicam passionem,
et felicissimam resurrectionem. Scio enim Illustrissimum Dominum
meum inter hostes fidei versantem, et cum eis assidue colluctantem
passionis dominicae esse consortem; quam illi ita felicem precor,
ut ad eminentem resurrectionis gloriam aditum patefaciat. Et quoni-
10 am gravissima Christianae Reipublicae negotia non permittunt, ut
personae vestrae optatissima praesentia fruamur, gratissimum inte-
rim mihi erit pignus amoris, quod in hac ipsa epistola ad me misit.
Valeat, et vigeat Illustrissimus Dominus meus, et me, ut facit, dili-
gat, et communi Domino in sanctis precibus suis commendet. Interim
15 reverentes manus Illustrissimae Dominationis Vestrae deosculans, ꝑ
obsequia mea illi ex corde defero. Romae die 16 Februarii 1614.